

*Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 6, 60-69

In illo témpore:

- <sup>60</sup> **M**ulti audiéntes ex discípu­lis Iesu dixerunt:  
«Durus est hic sermo!  
quis potest eum audíre?».
- <sup>61</sup> Sciens autem Iesus apud semetípsum  
quia murmurárent de hoc discípuli eius,  
dixit eis:  
«Hoc vos scandalízat?
- <sup>62</sup> Si ergo vidéritis Fílium hóminis  
ascendéntem, ubi erat prius?
- <sup>63</sup> Spíritus est, qui vivíficat,  
caro non prodest quidquam;  
verba, quæ ego locútus sum vobis,  
Spíritus sunt et vita sunt.
- <sup>64</sup> Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt».   
Sciébat enim ab inítio Iesus,  
qui essent non credéntes,  
et quis traditúrus esset eum.
- <sup>65</sup> Et dicébat:  
«Proptérea dixi vobis:  
Nemo potest veníre ad me,  
nisi fúerit ei datum a Patre».
- <sup>66</sup> Ex hoc multi discipulórum eius abiérunt retro  
et iam non cum illo ambulábant.
- <sup>67</sup> Dixit ergo Iesus ad Duódecim:  
«Numquid et vos vultis abíre?».
- <sup>68</sup> Respóndit ei Simon Petrus:  
«Dómine, ad quem íbimus?  
Verba vitæ æternæ habes;

<sup>69</sup> et nos credídimus et cognóvimus  
quia tu es Sanctus Dei».

Verbum Dómini.